# HYMENÆO
*NOBILISSIMORUM NEONYMPHORUM,*
# DN. JOHANNIS BAUMGARTEN,
REIP. THORUN. SECRETARII,

Et

*Omnibus sui Sexûs Virtutibus Decoratissimæ Virginis*
# ANNÆ JUSTINÆ KNIPPELIÆ,
Inter votivos Amicorum Applausus

D. XXI. SEPTEMB. M DC XCIV.

DICAVIT

debitum hocce

Mentis obstrictæ Monimentum

AMICUS.

*THORUNII,*

Imprimebat JOHANNES BALTHASAR BRESLER.

*TÆdiosa inter tædas res est, Elogium legere,* NOBILISSIME SPONSE, *suavius exedræ quàm genialis tori oblectamentum. Majori voluptate hic sparguntur nuces quàm acumina, & Fescennina præ Poëtica aliquando allubescit licentia.*

*Enimverò solo se Tibi obsequio hoc commendat Elogium, & facilior parenti venia, quia Ipse Tibi Elogium. Non formidas legentis fastidiũ, quod non fastiditâ consumes humanitate.*

*Ligata non perosus, nisi mea: sive nequid de obstrictissimi animi libertate delibares; sive quod heroica metra Tuam essent oneratura modestiam.*

*Aspice ergò sereno vultu parùm edecumatum ingenii specimen, idq; quò minùs adoptivum; hoc magis offuciarum vacuum.*

⁂ ⁂ ⁂

*Embl.* SOL IN LIBRA. *Lemma.* ÆQUALES LIBRAT AMORES.

⁂ ⁂ ⁂

SUpersunt quæ imiteris Orbis & Urbis Sidera,
Quorum inimitabilem tantùm non tenorem
sentire faciliùs quàm adumbrare
*NOBILISSIME SPONSE;*
Sed Solem imitari volupe est, Astrorum præstitem.
Virginem hactenus hoc prodromo speculatus,
Inter ardentissimos ejus ignes & nuptiales Principum faces
gliscentes Tuos inflammâsti amores,
Donec in Libra in innoxium erumperent incendium.
Hoc tamen erraticum superas sidus,
quòd ingressus amoris Zodiacum,
*in Leone Virginem, in Virgine Leonem* * adamas,
perenne non desultorii amoris in eo Tibi circumscribens
hospitium.
Regnorum & Connubiorum stabile fundamentum,
æquabile libramentum.
Æquâ lance ponderat Supremus rerum humanarum Diribitor
Regnorum fata, amantium vota,
si utraqve aliquam ferre debeant ætatem.

Seriùs

* *Gentilitium insigne Dnn. Knippel.*

Seriùs patitur fatalem Æqualitas periodum,
& poſt Deum ſe Statorem veneratur.
Quis igitur Vobis ſcævum ominetur Connubium
*NEONYMPHI NOBILISSIMI.*
Experimini pronubos Cœli influxûs,
utq; perpetuitatem ſuo prænuntiet operi,
Deliberatos Sol Libripens irradiat amores.
Sed quàm invenit omnia æqualia?
Scilicet
* Utrumqve Veſtrum incredibili modo conſentit Aſtrum.
Adeò ut metempſychoſi inſolita
Alterutrius in alterutrum Veſtrûm jam præmigrâſſe videatur animus.
Nemo coalitos facilè ſtupeat amores,
quando unum, mille conciliatrices, parile ingenium.
Utrinqve non fumoſæ imagines; ſed Majorum merita
inſolens faciunt æquilibrium,
niſi quod in glorioſo certamine par virtus,
pondus ex virtute dubium.
Certant hinc Murales; hinc Civicæ
Togæ cum Sagis,
Invidenda Belli & Pacis manupretia;
Sed certant, non præponderant.
Cumulantur utrinq; magna utriusq; Sexûs Decora,
quorum diverſum ad immortalitatem iter;
æqualis gloria.
Sed verecundatur curatiùs ad libellam hæc exigere calamus,
nequid aut Illorum magnitudini,
aut Veſtræ moderationi detrahat.
Illorum in VOBIS ſaltem miratur redivivas virtutes,
idemq; ad magna ſtadium, ſtudiumqve.
Non erubeſcendus Eorum ſanguis ruborem VOBIS incuteret,
niſi cum virtute intemeratum propagaretis.
Miſcetis æqualem in laudabilia ardorem,
& in declivi Honorum decurſu
unum ex virtute ſtabilimentum.
Conſpirant hinc rerum civilium; hinc rei familiaris
exaſciata ſcientia,
Avitæ imperandi & parendi artes,
opimas opum & honorum pariturae meſſes.

Soci-

* *Hor. l. 2. Od. 17.*

Sociantur in florenti ætate
ſuppar Senilis & Matronalis prudentia,
meritas ſocialis operæ promittens adoreas.
Non prægravant infucata utrinqve Pietas, Comitasqve,
quibus æqualiter Deum hominesq; vincitis
& devincitis,
Primum ſecundarum rerum firmamentum.
Sed luſus videretur inæqualis calami
*Æqualitas Veſtra,*
niſi Cœlum ſuo eam adprobaret calculo.
Non vocabo in partes juſtiſſimum Aſtreæ ſidus,
pronis Cultori ſuo Sponſo miniſtrans influxibus:
Sol ipſe ominoſum JUSTINÆ nomini facit Emblema,
dum in ipſo diei noctisq; libramento
naſcuntur veſtri & matureſcunt amores.
Tam æqualia in VOBIS ſunt omnia,
ut nihil ſupra,
*NEONYMPHI NOBILISSIMI.*
Quare
non vanâ ſpe proſperrima voventes auguramur.
Æqualitas eſt centrum, cujus circulus eſt
Felicitas, Concordia, jugis Amor.
Ergò vivite felices, concordes, & in amore conſtantes.
Cœpti in Libra amores ſerò in Auge felicitatis
deſinant.
Ferax deliciarum BAUMGARTII nomen
nullum funeſtet Pomum Eridos:
Tandem canis & ætate graves,
conſtantis, quia æqualis amoris finem
conſtantioris æternitatis primordium facite.
Videat & foveat Patria Æqualibus æquales poſteros,
qui in confiniis Aſtreæ & Libræ geniti,
JUSTINÆ Virtutibus innutriti,
(accipio omen)
Magni quondam futuri Juſtitiæ Cultores.

FAVEAT GEMINORUM MATER AMORUM!